

capitis leviter oblique positus, maris totam capitis altitudinem occupantibus, granulatis, orbita interiore versus apicem paullo divergentibus et ante apicem leviter sinuatis; rostro apicem coxarum posticarum attingente, articulo primo medium xyphi prosterni subattingente; antennis fere ad quartam apicalem partem oculorum interne insertis, articulo primo apicem clypei paullo superante, secundo latitudine capitis multo longiore; pronoto trapeziformi, sat leviter transverso, apice late sinuato, lateribus rectis, immarginatis, callis parum distinctis; scutello basi detecto; areola alarum hamo a vena sustensa emisso, a vena decurrente paullo remoto; xypho prosterni triangulari, disco subplano, lateribus sat alte marginatis; mesosterno apicem versus parum altiore, apice medio truncato, disco canalicula longitudinali instructo; coxis anticis medium mesosterni vix attingentibus; tarsis posticis articulo tertio secundo aequae longo, ungviculis medio-cubitalibus, sensim leviter curvatis, aroliis usque a basi liberis, elongatis, ungviculis paullo brevioribus, inter se valde divergentibus et ungviculis appropinquatis, interdum ut videtur cum iis conjunctis sed semper apicem versus ab iis divaricatis.

Generi *Acrotelus* Reut. affinis videtur, ab eo autem capite a latere viso altitudine longiore, clypeo basi a fronte haud discreto, a latere viso nutante, apicem versus latiore, angulo faciali acuto, pronoto levius transverso, aroliis ungviculorum usque a basi liberis divergens.

### *Alloeonycha* Mayri n. sp.

Virescenti-flavens, hemielytris pilis faciliter divellentibus nigris pubescentibus; membrana subhyalina, venis hyalino-albidis, areola majore apice et externe, minore tota limboque exteriori late fumatis, hoc macula triangulari inter cuneum et areolam minorem aliaque majore obliqua ab apicibus areolarum versus medium limbi vergente hyalinis, puncto nigro infra apicem venae cubitalis; tibiis nigro-spinulosis, tarsis nigro-fuscis. Long. ♂  $5\frac{3}{4}$ , ♀  $5\frac{1}{2}$  mm.

Germania (Wiesbaden!), D. Prof. Mayr (Mus. Vindob. ut *Capsus seladonicus*).